

Ludowico Romanorum imperatori semper augusto. Primo enim omnem offensam et iniuriam, si qua ei per nos facta esset, nobis remittit et libere relaxat, et nos versa vice sibi promittimus, bene et legaliter servire et equitare et cavalcas facere contra inimicos per nos ipsos et cum marschalco¹ ad omnem ipsius petitionem et marschaltzi sui sine dolo et fraude. Et ipse promisit nobis pro tot postis, quot^a nos habemus, solvere sex florenos pro qualibet posta, hinc ad Kalendas Decembris proxime^b venturas ad² bonam rationem cum stipendiis militum, et insuper nobis solvere quatuor pagas integras pro quatuor mensibus preteritis hinc ad Kalendas Ianuarii proxime^b venturas² et coequare nos in tempore ita, quod si aliqui ex nobis haberent minus de stipendio, quod adequentur cum aliis, qui plus habent ad dictas Kalendas. Et voluit dominus imperator, quod nos teneamus castrum^c Viuarie et Ceruglii, et ibi morari possimus, et si predicta non observarentur nobis in dictis terminis et quolibet eorum hinc ad dictas Kalendas Ianuarii, quod liceat nobis stipendiariis de dictis castris facere cum amicis et inimicis ad nostram voluntatem; et quidquid nos faceremus de dictis castris, cum bona voluntate ipsius inteligimur fecisse. Nos vero promissimus et iuravimus ipsi ad sancta Dei ewangelia, quod^c facta nobis solutione pro IIII mensibus hinc ad Kalendas Ianuarii, ut supra dicitur, restituere eidem libere dicta castra Viuarie et Ceruglii sine aliqua lesione ipsorum castrorum et ipsa castra ponere in potestatem ipsius domini imperatoris sine dolo et fraude, ipsaque castra interim bene custodire et omnes fideles ipsius et habitantes ibidem bene tractare, et^c alicui fidei suo nec habitantibus in dictis castris aliquod dampnum dare nec violenciam inferre nec eos in personis vel rebus modo aliquo molestare, et si secus per nos vel aliquem nostrum fieret, ad arbitrium marschaltzi sui emendare. Et ipse nobis permisit, quod si aliquis nostrum, antequam dicta paga fiat, vellet repatriare, quod possit alteri remanenti committere, quod pagas suas pro dicto tempore recipiat, et de superfluo, quod deberent^d recipere predicti volentes recedere ultra pagas predictas, facta ratione cum eis permittit eos contentare vel dare eis litteras ad aliquem

a) 'q' Or.

b) 'proxim.' Or.

c) So Or.

d) 'deberet' Or.

1) Albert Humel von Lichtenberg, Marschall König Ludwigs. Siehe auch Ficker, Forschungen IV, n. 509 und 510. 2) Die Worte 'ad bonam — venturas' fehlen bei Scheidt.